

9 Oct. 1884

PRO IMMUNITATE

SEMINARIENSUM ALUMNORUM A SERVITIO MILITARI

ORATIO INAUGURALIS

HABITA KAL. OCT. ANN. 1884

IN PONTIFICIO REGALI ATQUE CENTRALI

SEMINARIO GRANATENSI DIVI CÆCILII

DRE. D. FRANCISCO SANCHEZ ET SANCHEZ

PRESBYTERO

IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIE PROFESSORE

ET IN SACRA THEOLOGIA AC JURE CIVILI LICENCIATO

SUMPTUOSUS SEMINARIO



GRANATAC
TYPIS D. INDALETHI VENTURA

ANN. 1884

LIOTECA HOSPITAL
GRANADA

C

001

060 (10)

0

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

400 40 

MADE IN SPAIN

R 27520

PRO IMMUNITATE

SEMINARIENSUM ALUMNORUM A SERVITIO MILITARI

ORATIO INAUGURALIS

HABITA XAL. OCT. ANN. 1884

IN PONTIFICO REGALI ATQUE CENTRALI

SEMINARIO GRANATENSI DIVI CÆCILII

DRE. D. FRANCISCO SANCHEZ ET SANCHEZ

PRESBYTERO

IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

ET IN SACRA THEOLOGIA AC JURE CIVILI LICENCIATO

SUMMOPROBUS SEMINARIO



GRANATAC

TYPIS D. INDALETHI VENTURA

ANN. 1884



BIBLIOTECA HOSPITAL		...L
GRANADA		
Sala:	C	
Estante:	001	
Número:	060 (10)	

R. 27520

PRO IMMUNITATE

SEMINARIENSUM ALUMNORUM A SERVITIO MILITARI

ORATIO INAUGURALIS

HABITA KAL. OCT. ANN. 1884

IN PONTIFICO REGALI ATQUE CENTRALI

SEMINARIO GRANATENSI DIVI CÆCILII

A

DRE. D. FRANCISCO SANCHEZ ET SANCHEZ

PRESBYTERO

IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

ET IN SACRA THEOLOGIA AC JURE CIVILI LICENCIATO


SUMPODORUS SEMINARIO



GRANATÆ

TYPIS D. INDALETHI VENTURA

ANN. 1884



+

Militum Christi est Christo servire,
militum vero saeculi saeculo.

C&N. 49, CAUS. 23, QUEST. 8.*

*Excmo, ac Illmo, Präzul,
Rector dilectissime, clavissimi Magistri,
Juvenes optimi;*

In hac nostra ætate positivismo infecta ac rationalismo, tam felicitatis avida quam bonorum egena; in hoc tam vertiginoso turbine idearum, cupiditatum et lucri, quorum tenax collisio omne vinculum unitatis et harmoniæ fermè dissolvit in singulis vitæ humanæ ordinibus; dum incredibili temeritate homines, turpi scepticismo cæci, amplectuntur quod absurdum et iniquum est ipsa etiam luce meridiana clarius; in hoc denique saeculo decimo nono, nimiis continuò amplificato laudibus, licet eodem tempore quo de luminibus gloriatur in desperatam ruinam præcipitanter ruat, solatio sunt et securam spem ad meliorem frugem revertendi in nostris reponunt pectoribus hi omnes adolescentes vocati et electi, qui procul a viis perditionis se recipiunt in Ecclesiæ sinum, in tranquilla Seminarii septa, optima virtutum atque scientiæ domicilia, ut in eo thesaurum veritatis et vitæ pia cum abnegatione persequantur, quem miserè contemnit ingens hominum numerus, non modo profani vulgi, ut verbis Tullii utar, sed plurium eliam qui nomine sapientum abutuntur.

Sed heu, Excellentissime Domine, in hos etiam recessus tela venenata irrumpt impieatis! Cum perdit homines nullatenus voluntati ac consiliis Dei limites apponere possint, vias ejus, quoad possunt, intercipere conantur. Notatu dignum! Ubi nationes atque individua nimio libertatis obtinendæ ardore rapiuntur, nunc temporis catenas adversus Ecclesiam parant, salutares ejusdem progressus coaretare conantur, indigna quæque moliuntur, ut stipendii funibus vinciant, legumque inicuarum vi virgineam

Sponsi sponsam, quæ est *Domina gentium et princeps provinciarum*; (1) quæ Domino tantum inservire atque obsequi debet, servam reddere gestiunt vilibusque ministeriis mancipare. Falsi nominis philosophia semet humani generis amicissimam jactat, et dum suum acuit ingenium ut hominum jura tueatur, theorias adhibet quæ divinitatis privilegia dilacerant; et dum ab omni servitute et auctoritate populos liberos facere profitetur, nihil prætermittit, nullum non movet lapidem, ut sub jugum mittat, et potestati civili subdat religiosam societatem, fundamenta suffodit mirandi ædificii a Deo summo fundati, atque ut a Sancto Cipriano dictum est «*Mundanam conatur facere Ecclesiam*» (2). Intendunt vestigia prementes Voltaire ejusque asseclarum, clerum ad profana transferre, ut ipso despecto, religio ad interitum veniat, et hoc obice e medio sublato, principia perfodiant quibus innituntur tam dignitas regia quam auctoritas civilis, quarum supra rudera solium habeant atque imperium exerceant cupiditatum philosophia et hujus sæculi licentia, et universalis anarchia.

Vix fideignum videtur, quantum in hisce proximè elapsis annis desudatum sit et nunc temporis adlaboretur, ut Ecclesiam invisam et ancillam reddant. E solio pontificio Sanctissimus et nobis dilectissimus Pius Papa IX lacrymas profundebat, quod ejus aspectui pateret «hujus Apostolicæ Sedis divexata potestas, Ecclesiæ oppugnata atque in turpem servitutem redacta auctoritas, Episcoporum jura conculcata, matrimonii sanctitas violata...» (3) et Dominum Deum piis precibus obsecrabatur, ut hanc respiceret vineam sua potenti dextera plantatam, et ab eadem averteret ferream manum qua tunc opprimebatur ut nunc quoque.

Tua etiam charitas, Exeme. Domine, suspiria edere pluries coacta est propter paucitatem ministrorum Sanctuarii qui nostris temporibus magis magisque in dies deficiunt, cum aspiceres planarium hoc spem Archidiocesos cui Deus Te præfecit, quia maxima cum diligentia perpendebas, quos obices afferrent eidem leges de conscriptionibus militaribus, quæ omnes scopum occultè videntur intendere, quem quidam in Italia palam evulgavit: Offendicula apponere oportet in via qua juvenes ad Clerum pervenient, ut Clericorum numerus incessanter minuatur.

(1) Thren. I, v. 1.

(2) Epist. 52 ad Antoniam et epist. 55 ad Cornel. Pont.

(3) Pius IX. Encil. Qui pluribus. 2 Nov. 1846.

Re quidem vera siccis oculis legere non possumus vigentem in nostra Hispania servitii militaris legem, quæ antiquam clericorum exemptionem, plurimis sæculis venerandisque legibus sancitam, omnino pessundat; quinimo Christi Levitas studiis valedicere cogit, et sacrorum ordinum susceptionem ad vigesimum sextum annum odiosè retardat, et eos qui cunctis retro sæculis ac populis melioris fuerunt conditionis et esse merentur, deterioris efficit, siquidem ii contra qui nuptias appetunt, nonnisi per duos annos sperare juventur.

En rationem, Exeme. Dne., en causam electi pro hac mea oratione argumenti. Hoc videlicet Seminarium totis viribus, prout debo, diligo; ad hoc enim faustè adductus fui decem annos natus, intra ipsum increvi, in ipso succum salutaris sumpsi doctrinæ, quæ meum aleret intellectum, et beneficum rorem præceptorum quæ simul ac eorū efformant, in eodem gratitudinem gignunt et dilectionem; ex altera vero parte, cum attentè cogitarem et mente volverem ærumnas quibus exterius angitur hocce Seminarium, et difficultates quibus nostri conatus sèpè evacuantur, abrum-puntur intima cordis, quoties video hinc avelli juvenes velut quosdam fragrantes ejusdem flores, ut eorum aroma disperdatur per contaminatam atmospheram contuberniorum militarium atque castrorum, flentibus populis in quibus adhuc vera fides vivit, qui operarios flagitant qui frangant et ministrent eis panem spiritus, cibum cœlestem animarum. Ideo, cum onus hodie loquendi, meis humeris formidandum quidem sed præclarum valde, esset impositum, et vi officii libenter a me susceptum, non dubitavi, omnem curam et operam mei ingenii, si quid est in me, conferre ad propugnanda jura Seminariorum, et simul coarguendos eos qui illa perfringere non verentur, qui abrogantes sibi potestatem nullatenus ad eos spectantem, ambiant in Sanctuarium introire, et profanis manibus Petri claves abripere, perindè ac si aliqua potestate in Christi Ecclesiam pollerent.

Ergo propugnare conabor, justum esse et undeque expedit, quod Seminariorum alumni, divinæ militiae tirones, a seculari militia eximantur.

I.

Ecclesia Christi tam ex natura sua quam ex voluntate divini sui Institutoris est societas independens et suprema; adeoque media ad suum finem obtainendum sufficientia in semetipsa habere debet, et nulla alia societas jus habet exigendi ab illa aliquid quod ejusdem naturae aduersetur; imo neque eidem vim inferendi, cum citra sua propria et debita jura agat. E quibus veluti præmissis inferre licet, omnem ausum contra ejusmodi jura, quibus Ecclesia pollet, non modo injustum sed etiam sacrilegum esse; jura enim Ecclesiæ sacra sunt.

Jam vero, inter alia quibus Ecclesia indiget media ad suam existentiam et conservationem, jure merito numerantur Sacerdotes ejusdem mysteriorum administri; quibus cura demandata est operis a Jesu Christo, admirabili ipsius institutore, incæpti, in universam terram propagandi et peragendi. Avertere ergo clericos a fine ad quem instituti a Deo fuerunt, in usus profanos transference eos qui ad Clerum pertinent, ad quem profecto adscripti sunt Seminarii alumni sacris ordinibus per tonsuram initiati, ac proinde Deo dicati, *unde clerici nominantur*, id est, *sors seu hereditas* (1); vel ut ait D. Hieronymus, *quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est part. Clericorum est* (2), sacrilegum scelus est et violatio directa jurium quæ ad Deum spectant.

Præter divinam vocationem qua Deus Omnipotens et plenus Dominus omnium quæ creata sunt, quælibet suo nutu disponit et constituit prout sibi placet, et quosdam homines sibi eligit et vocat qui ei ministrent, quos propterea ab omni munere exonerat quod aduersetur præcelso scopo ipsis imposito; hac non contentus præelectione et vocatione quam cœlesti motione et interna gratia fovet, Deus hoc ipsum aperuit, Pontifices atque Concilia promulgarunt, et jus humanum positivum, et ecclesiasticum et civile divinæ voluntati obsecundans agnovit, suisque legum collectionibus pluries edixit.

(1) Cap. Cleros, dist. 21.

(2) S. Hieronym. Epist. ad Nepotianum.

Testamento Veteri Deus Levitas esse suos aperte dixit: «*Eruntque Levitæ mei, ego Dominus*» (1); quapropter jubet Deus eos seponi a cæteris et Summo Sacerdoti donari ejusque successoribus seu vicariis. «*Ait Dominus ad Moysem: Dabis dono Levitas Aaroni et filiis ejus quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum Sacerdotii*» (2). *Statuesque levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus et consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei, et postea ingredieris tabernaculum faederis, ut serviant mihi, sicutque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini, quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel...* *Tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi*» (3). Præcipit Deus recensere multitudinem, ut sciretur numerus idoneorum ad arma capienda, atque ut rationem statuat qua castrametari debeant, et ordini consulat per congruentia jussa quem habeant locum singulæ tribus sive in castris, sive in itineribus, sive in præliis. Omnes recensentur qui in singulis tribubus apti erant a vigesimo anno et amplius, exceptis sexagenariis et mulieribus, et suppulatione facta hæc ad calcem addit: «*Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel; sed constitue eos super tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus et quidquid ad cœremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus; et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur*» (4).

Quæ quidem præcepta cum ex eis non sint quæ ad cæremoniæ sed potius ex iis quæ ad mores spectant in Testamento Veteri contenta, in Novo etiam perdurare potiori jure dicenda sunt, si ratio habeatur maximæ quam præsefert præstantiae Sacerdotium novæ legis. «*Nunc et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior unctio sacerdotum*» (5) ait S. Leo Magnus. De hoc sacerdotio, quod Jesus Christus dixit Apostolis dici

(1) Num. III, 45.

(2) Ib. III, v. 10.

(3) Ib. VIII, 13, 14 et 19.

(4) Num. I, 47 et seq.

(5) S. Leo Mag. Sermo 8.^a de Passione Domini.

merito potest. «*De mundo non sunt sicut et ego non sum de mundo... De mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo»* (1).

Concilia magnum addunt robur huic thesi, sive dum generatim decernunt, immunitatem, qua Clerici pollent tam in semetipsis quam in rebus ad eos pertinentibus, jure inductam esse divino, sive dum singillatim in eos animadvertunt pœnis, qui divino transgresso præcepto implicant se negotiis sacerdotalibus, negligentes officia simul quibus vi sui præclari muneris incumbere debent.

Ex innumeris prorsus quos afferre possem conciliorum canonicibus, hi sufficient ne sim vobis tædio.

Primus quidem est Concilii Lateranensis sub Leone X in quo dicitur: «Cum a jure tam divino quam humano potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit...» (2). Similiter in Concilio Coloniensi habetur: Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est jure pariter divino et humano introducta, quæ in duobus potissimum sita est. Primo ut Clerici eorumque possesiones a vec-tigalibus et tributis, aliisque muneribus laicis liberi sint: deinde ne rei criminis; ad Ecclesiam confugientes, inde extrahantur» (3). Sancta denique Tridentina Synodus ait, «Ecclesiae et personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse» (4). Quibus verbis sublata etiam videtur quorundam doctorum interpretatio, quod scilicet, nomine juris divini, quo Clericorum exemptio fundata est, canonicum jus intelligendum sit; siquidem Tridentinum apertè inter Dei et canonum sanctiones aperle distinguit.

Pontifices præter Bonifacium VIII, (5) Gelasium (6) et Alexandrum (7) qui omnes disserte tradunt, a jure divino esse immunitatem personalem Clericorum ac propterea liberos esse a munib[us] merè sacerdotalibus, Pius Papa IX litteris ad Episcopum Montisregalis, *Singularis nobis* 29 September 1864, postquam leges quarum vi Clerici militum officio subjiciuntur, iniquissimas appellavit, decretoria hæc addit: «*Quæ infandæ sanè leges omnibus divinis, ecclesiasticis humanisque juribus vel maxime adversæ, omnino sunt reprobandæ ac damnandæ.*»

(1) Joann. XVII, 15, IV, 19.

(2) Conc. Lat. SS. 9.*

(3) Conc. Colon. part. 9, cap. 20.

(4) SS. 25, cap. 20. De refor.

(5) C. Quamquam de censibus in 6.*

(6) Cap. Sylvester II, quest. 1.*

(7) Cap. relatum II, quest. 1.*

Et re quidem vera veteres codices sive canonici, sive civiles huic suffragati sunt juri, sive cum pœnas decernerent in transgressores, sive cum clericos a militia immunes apertè sancirent.

Hæc ex decreto Gratiani urgemuſ «Gradu amissō tradantur in monasterio Clerici arma voluntarie sumentes» (1). «Quicumque ex Clero esse videntur arma militaria non sumant, nec armati incedant; sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum canonum contemptores et Ecclesiastice sanctitatis profanatores proprii gradus amissione mulcentur, quia non possunt simul Deo et sæculo militare» (2).

Ex decretalibus: «Clerici arma portantes excommunicentur» (3). «De clericis vero duximus respondendum, quod cum Clericatus officium eos reddat inhabiles ad pugnandum.....» (4).

Ex bulla *Apostolice Sedis* aperte patet, Ecclesiam hodie insistere in urgenda observantia immunitatis personalis, cum putaverit non esse spiritualibus pœnis animadvertisendum in immunitatis realis violatores. Hinc est quod in citata constitutione disparuerint omnes censuræ latæ contra eos, qui super bonis Ecclesiæ vel Clericorum imponunt taxas, quæ antiquioribus canonibus plectebantur; et e contra ad tuendam immunitatem personalem Clericorum duo articuli propositi sunt ab antiquis canonibus desumpti; nempe articulus VII in excommunicationibus latæ sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatis, et articulus II inter excommunicationes Papæ simpliciter reservatas, quod importat eam legem juxta Ecclesiæ præscriptum adhuc vigere. Atque ideo cum lex de militaribus conscriptionibus Ecclesiasticos comprehendens maximè laedat libertatem et immunitatem Ecclesiæ, abs dubio cadit sub illa verba præcitatæ articuli VII «item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.»

Hinc mirum cuiquam videri non potest, Sapientissimum Suarécum, hujus civitatis Granatensis nobile decus, non veritum fuisse incapacem baptismi declarare principem infidelem qui fidem amplecti postularet, sub conditione tamen quod immunitatem personalem non observaret. Hæc sunt ejus verba: «An possit infidelis Princeps ad baptismum admitti, nolens in suo regno

(1) Can 23, quæst. 8^a, cap. 5^a.

(2) Ib. cap. 6^a.

(3) Lib. 3^a, tit. 1^a, cap. 2^a.

(4) Ib. tit. 34, cap. ex multa 9, § fin., de voto.

exemptionem clericorum permettere, immo sub conditione et pacto postulans ne tali jurisdictione privari possit? R. Tam iniquam esse illam conditionem et contrariam juri divino, aut immediate aut saltem mediate, ut permittenda non sit, neque baptismus sub tali pacto alicui Principi concedendus..... Talis Princeps est indispositus ad baptismum recipiendum; tum quia graviter peccat, vim illam Ecclesiæ inferendo.....» Unde patet, eos qui personalem Clericorum immunitatem parvipendunt et violant baptismate suscepto indignos esse, sicut ille princeps infidelis esset indignus ad suscipiendum.

Codices etiam civiles satis ostendunt, vix Ecclesia in toto orbe agnita fuit ac libera per Constantini conversionem, omnes Christianos reipublicæ moderatores jus immunitatis quo Clericis competit, cito fuisse confessos.

In Theodosiano Cod. «Curialibus muneribus atque omni inquietudine civilium functionum exortes cunctos clericos esse oportet» (1). Item «Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est, qui Clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne sacrilego labore quorundam a divinis obsequiis avocentur» (2). Quæ certe præclara verba tum vetusissima antiquitate tum honorabili origine commendantur; illius enim sunt inclyti principis, æternis laudibus celebrandi, qui abjecta turpi idolatria infandas abstulit abominationes quæ humani generis erant dedecus et opprobrium, Constantinum dico, qui, teste Eusebio, clericos ab omnibus omnino communibus, et civilibus rerum publicarum ministeriis immunes, et absolutos voluit (3).

In libro secundo Cod. Iustin. «Clerici non vocantur ad munera sordida.»

Lex Partit., part. 1.^a, tit. 6.^o, leg. 52, decernit, Clericos non teneri ad murorum vel fortalitiorum custodiam nisi forte instante gravi necessitate contra inimicos fidei nostræ, et tunc habiliores ad id munus nonnisi per Prælatum eligendos; (4) nec tamen tales

(1) Lib. III, cap. de Episcopis et Clericis.

(2) Leg. 7.^o, Cod. Teod. lib. XVI, tit. 2.^o

(3) Euseb. Hist. lib. 10, cap. 7.

(4) Guerras habiendo en algunas tierras por que los moradores de aquellos lugares hiciesen de velar los muros ó los castiellos, los clérigos non son tenudos de ir á guardarios, comoquier que todos los que allí se ampararen lo deben facer tambien los vasallos de la iglesia como los otros. Pero si acaesciese que moros ó otras gentes que fuesen enemigos de la fe cercasen alguna villa ó castiello, en tal razon como esta non se deben los clérigos escusar que non velen et non guarden los muros: et esto se entiende segyendo grant menester, et de aquellos clérigos que fueren mas convenientes para ello: et debe ser en es cogencia del obispo, ó del otro periodo que fuere en aquel lugar, ca derecho es que todos guarden et defiendan la verdadera fe, et amparen su tierra et sus cristianos de los enemigos, que los non maten nin los prendan nin les tuelgan lo suyo.

clericos per semetipsos manu propria pugnaturos, sed tantum consilio, exhortatione, prædicatione aliisque ministeriis quæ clericalem ordinem non dedeant.

Lege decima quinta, lib. I, tit. X Novis. Recop., Carolus III die 3 Novemb. 1770, et die 17 Mart. 1773 ita decernit: «Qui sive prima tonsura, sive etiam minoribus ordinibus sunt in clericos cooptati, dummodo in eis confluant conditiones a Sancta Synodo Tridentina statutæ et a lege 6.^a hujus Tituli, militari servitio exempti habebuntur, dummodo studiis incumbant in Universitatibus approbatis de auctoritate et mandato Episcopi præcise, vel in Seminariis Conciliaribus» (1). Idem decrevit Carolus IV die 28 April. 1797, et rursum die 27 Oct. 1800 (2).

Quæ cum ita sint, cur concessu et admissu principio negantur in praxi saltem, consequentiæ quæ ab ipso legitime profluent et patent? Quomodo explicari potest, quod admissa et confessa a legum conditoribus Hispaniensibus Catholica religione, quam profiteri et servare gaudent vix non omnes ad unum in Hispania, stantibus etiam solemnibus cum Romano Pontifice paclionibus, quæ honestos sive homines sive populos cunctis ferri cancellis forlius ligare noscuntur, stantibus, inquam, præmissis nihil efficiendi quod Ecclesiæ jura vel sacros canones effringere possit, leges tamen conduntur, adeo ipsi Ecclesiæ contrariae, ut eadem velut mater filii abreptis gemere debeat? Cur oblivioni traduntur jura quæ pro ipsa vigent juxta Reipublicæ statuta?

Neque objiciatur simulata ratio quæ afferri solet pro legibus injuriosis quibus Clerici ad militiam rediguntur; ita agentes nihil intendisse quam æquales omnes reddere, et privilegia auferre quæ dum aliis favent, aliis nocumento sunt. Immunitas enim a militia exceptio quædam est, non quidem pro hominibus singillatim designatis, sed civibus quibuscumque qui se dant omnino Ecclesiæ, vel potius ipsi societati in Ecclesiæ jugi servitio, non aliter ac exemptiones aliae justæ profecto quæ eisdem in legibus et

(1) «Los clérigos tonsurados ó de Menores, en quienes concurren las calidades prevenidas en el Santo Concilio de Trento y en la ley 6.^a de este título, gozarán de la excepción del servicio, con tal que para ello hayan de estudiar con autoridad y mandato del Obispo, y lo hagan precisamente en Universidades aprobadas ó en los Seminarios Conciliares».

(2) «He venido en declarar que además de los clérigos de tonsura que tengan Beneficio eclesiástico, sean exentos del sorteo los que fueron ordenados con destino á determinado servicio ordinario, á saber, y necesario de una Iglesia, constando para cuál lo han sido, en la forma que se dirá, y los tonsurados que están estudiando de mandato del Obispo en Universidad aprobada ó en Seminario conciliar, y no en otra escuela, sin embargo de cualquier declaración y Real orden, porque todas las deroga, cuanto al fin, y no más, de este servicio».



ab eisdem legum auctoribus statuuntur pro determinatis personis, quas determinat lex nunc vigens de conscriptionibus militibus, arts. 90 et 92 pro religiosis et qui ad tirocinium Scholarum Piarum pertinent, pro congregationibus tantum ad puerorum eruditionem institutis, vel ad quasdam missiones quæ in ipsam legem nominantur; pro filio denique unico qui suum alat patrem egentem et præpeditum aut sexagenarium qui labore manuum suarum sibi suisque providere non possit.

An necessitas ex qua exurgit jus immunitatis quo Clerici pollent, non ita patescit? Ita nihil refert, ut contemnenda sit? «Etiamsi Ecclesia nihil aliud esset (ut modo ajebat quidam doctus dignissimusque Prælatus qui ad hoc Seminarium quondam pertinuit) (1) etiamsi Ecclesia, inquam, nihil aliud esset quam licita societas, adhuc adversus ejusdem modum se gerendi quidpiam machinari nefas esset. Sed est societas a Deo instituta et a nulla alia dependens, quæ una simul cum republica et objectum præstantius habens quam respublica, studium et operam confert omnium hominum veris commodis et utilitatibus, postquam civilis societas ipsius existentiam agnovit et se obligatam declaravit ut ejusdem actionem et gradum non impediret; propterea que ubi Ecclesia eos, qui sacerdotium sunt suscepturi in seminariis vera scientia et pietate per aliquos annos nutriti et politi reposcunt, non licet, eam privare necessario sacerdotum numero, ut finem salutarem ad quem fuit instituta adimpleat, non licet, inquam, ad id tantum ut consulatur utilitatibus secundi momenti, inter quas merito recenseri potest incrementum parvum militarium copiarum».

Contra dum cœqualitas expetitur omnium civium, disparitas inducitur; et qui privilegium impugnare profitentur, verum et odiosum privilegium inducunt; nocet enim plebi numerosiori et quæ magis subsidio legis indiget, eis videlicet qui egeni sunt; nam hæc suppressio vetat quominus hi possint divinam vocacionem implentes, se altius erigere et statum amplecti quo ornati ad primas dignitates evahi possint christianaæ societatis, ut in Italiae generalibus comitiis edixit deputatus catholicus Dnus. Conti: «Cum Clerici divites valeant sua se pecunia a servitio liberare, quis ex Clericis militum sorte subest? Tantum filii pauperum. Unde vestra lege, Ecclesiæ datis tantum divites et pauperes militiaæ

(1) Exclusus ac Illust. Dr. D. Narciso Martínez Izquierdo, Episcopus Salmanticensis, in sua ad regem expositione, die 1 Jan. 1882.

ineptos». Qui ergo privilegium tollere intendunt, pessima privilegia creant. Non ergo rationalem æqualitatem statuunt, sed absurdam, ut ita dicam, nivellationem.

Præterea, dum disparitatem concedunt ingenii et status, negando sacerdotibus munia civilia quæ a sua abhorrent dignitate, ut non sint Regni curatores nec advocati nec alia munera habeant utilia vel placentia, aliunde inficiantur quod ex ipsa disparitate profluens illis faveat, non secus ac quidam parisiensis Hebert, qui anno 1793, cunctas ecclesiarum turres evertendas postulabat, eo quod sua altitudine æqualitatis principio, ipso effidente, nocebant.

Neque opponatur, plures tunc Seminarium ingressuros tantum, ut immunitate fruantur: si enim ejusdem usus esset tota ratio qua sic agerent, lex abusui obviam ire posset ipsis applicans qua de aliis exemptis habet paragrapho 2.^o, art. 90.

Age vero, exceptio quæ ex natura ipsa ministerii exurgit Ecclesiastici, a Deo præfinita, a Conciliis et Pontificibus confessa, in honore habita, propugnata alque sancta a codicibus et canonicis et civilibus, nonne immunitatem constituit ex jure tam divine quam ecclesiastico, et ejusdem rescissio injuriam simul et sacrilegum? Nonne luculenter eruitur, etiam nihil agere posse rempublicam adversus ejusmodi immunitatem, siquidem Ecclesia super civilem eminet societatem, et canonicæ leges perfringi nequeunt a civilibus? Contra cum immunitas cuius defensionem suscepimus a jure exoriatur divino ac proinde a potestate omnibus præstantiore originem ducat, ne Ecclesia quidem penitus ei renunciare valebit, nullo enim jure ipsa pollet adversus ea quæ a Deo statuta ac præordinata sunt; sed tantum ad eam spectat illam temperare et ejus modum adhibere juxta temporum et locorum adjuncta: nam Deus hæc præfinivit nulla coarctatione facta, et Pontificis sollicitudini et auctoritati commendavit praxim et usum.

Sane sapientissimus noster Suarez hanc propositionem probatam reliquit: «Etiam Concilium cum Pontifice, id est cum ejus consensu et approbatione non posse huic privilegio immunitatis ecclesiasticae renuntiare» (1). Juval ergo cum Tridentinis Patribus repetere: «Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta est» (2).

(1) Suarez. Def. Fidei. Lib. IV, cap. 31.

(2) Sess. XXV, can. XX. De Ref.

II.

Ex hactenus dictis id in comperto habemus, exemptionem seminariensium a militia justam esse, seu juri conformem tam naturali, quam positivo, divino, ecclesiastico atque civili, non solum hispano sed et romano omniumque propterea gentium. Ad ampliorem autem thesis commendationem superest breviter evincere, convenientem insuper esse tam respectu eorumdem Dei ministrorum quam ipsiusmet societatis civilis, cui melius atque fructuosius multo ejusmodi exempti deservient in divina quam in mundiali militia.

Et quidem Catholicus Sacerdos minister est pacis et misericordiae, cujus sunt officia hostiam immaculatam pro peccatis suis et fidelium Deo offerre suae curae commissorum, fidei doctrinam eos docere, sancta Sacraenta eis ministrare, et in mortis discrimine constitutis solatia adhibere ac salutis aeternae viam aperire.

Sacerdos procul a solicitudine et perturbatione mundi jugiter in oratione ad Deum tendere debet manus vestibulum inter et altare, ut gratias et Dei benedictiones sibi suisque promereatur, et Dei miseratione descendat, et iram et indignationem suam Deus a nobis avertat. Jam vero soluta militum vita aptane erit via ad Levitam paenitendum et idoneum reddendum qui tam sancta officia adimpleat, et nimis gravia munera perficiat? Propriusne erit modus quo præparetur ad orationis vitam, meditationis et a negotiis sæcularibus abstractionis, quam acturus est usque in diem quo cursum perficiens ad domum aeternitatis proficiscatur?

Hinc est quod Summus Pontifex Joannes VIII Angebergua Imperatrici, excusans Joannem Episcopum removeri de militia, dixit: «Nimium certè veretur, et jure formidat contra professionem sui ordinis sæcularem militiam exercere; terram defendere, de præliis tractare, de armis terrenæ potestatis est» (1).

Cæterum Tridentina Synodus ab omnibus efflagitat qui Sacerdotio insigniri desiderent, præter alia exercitia et studia pia, præsentiam quotidianam Sancto Missæ sacrificio (2). Sed, quo pacto

(1) Deer. caus. 23, quæst. 8^a, cap. 1.^a

(2) Sess. XX, cap. 18.

hoc exequi poterunt munus eis sic congruens, posita ratione vivendi militum?

Hosce juvenes, qui ex officio et statu simul tenentur fideles suæ curæ commissos ex Spiritu Sancti Cathedra de contumeliis ferendis patienter, de injuriis obliviscendis, de dilectione et charitate perfecta erga Deum et homines colenda admonere, necesse est, ut ajebat Episcopus Andegavensis in Generalibus Curatorum Galliae Comitiis, a militia elongatos esse, ne de eis dici possit: Vos etiam sanguinem fudistis proximorum vestrorum. Ipsi cuncto suæ vitæ tenore, et nomine et dignitate ciere homines assidue debent, ut pacem et unitatem et fœdus et animorum conjunctionem velut fraterno jure habere studeant et servare current. Eorumdem immunitas a militia erit quidem exceptio, sed talis ut tota pro justicia, pro eo quod æquum et consentaneum rationi est, pro moralitate, pro eo quod humanitatem et benicitatem fovet, pro eo demum quod in hoc mundo est maximè ingenuum, præclarum et præstans. Sed, immunitatem exceptionem dixi? potius est vera incompatibilitas, ut ita loquar, orta ex dignitate mirabili qua pollent religionis ministri. Cum enim tales Religionis ministri Dei ministri sint, in quibus ipse honoratur Deus, a reliquo populo segregandos, altiori loco habendos et in honorem divinitatis summopere honorandos, communis hominum prædicat sensus.

Lex enim quædam inest hominum cordi exarata, cuius vi non possunt quin intelligent, Deum esse originem a quo suam repetunt existentiam, Dominum potentiarum eorumdem, et principium a quo omnia acceperunt bona et commoditates quibus fruuntur. Eadem lex in dubium has veritates revocare homines non sinit, nam palam ostendit, religionis cuiusdam existentiam, cuius cultu una cum exercitio debeant ipsi suas preces ad Deum fundere et levare, et eidem obsequium summum exhibere, tot incitamentis expeditum, tot rationibus debitum.

Item per se patet, fieri non posse, religionem absque ministris consistere, eosque quos Divina Providentia ad id gloriosi munieris eligere dignatur, ipso facto honore cumulari supra modum, et præstantiores constitui cæteris qui ad societatem spectant, proindeque tamquam mediatoribus Dei et hominum cœlum inter et terram observantiam deberi, prærogativas atque immunitates.

Consensus omnium gentium testimonium exhibuit ineluctabile hujus veritatis, cum dignitatem ministrorum suæ religionis colerent, et eosdem in quovis hierarchiæ sacrae constitutos gradu,

cæteras supra dignitates reponerent; ita ut sacrae eorum immunitates non modo in Orbe Christiano vera sapientia illustrato, sed et apud cæcos idolorum cultores impiasque sectas semper summo in honore fuerint. Religionis enim libertatem representantes, omni populo, licet effero ac barbaro, dignæ visæ sunt, quæ arcerentur profanarum manuum contrectatione, inviolataeque a quavis injuria temporis servarentur. Deus enim cum impuris terrestrium creaturarum (quæ ejus pedum sebellum sunt) manibus attrectari deditnaretur, altaris ministros sibi electos, ac per Sacerdotium ad supremum dignitatis gradum evectos, terrenorum affectu spoliavit, expiavit, in Angelos lucis reformavit, ut quamvis intra carnalia septa existerent, carnem tamen sibi exuendam intelligerent: conspicuos item Angelorum ministerio fecit: demum populi sui curæ præfectos privilegiis condecoravit, titulis auxit, atque a cæteris hominibus selectos sibi seposuit.

Quod cum nobis pateat sacrae paginæ auctoritate, cæcutienti ethnicorum multitudini ita insitum, insinuatumque fuisse solo naturæ ducta, ut sacerdotum ordini tantum tribuerint quantum tribuisse gravissimi auctores tradunt, magnum planè est, ac prorsùs admirabile. Græcia quidem, scientiæ ac bonarum artium Seminarium, suorum Deorum ministros eo existimationis atque observantiae loco habuit, ut ad publica concilia omnino adhibendos judicarit. Sparta verò, alter Græciæ oculus, Augures suis Regibus assesores dedit. Ad Druidas Cybeles sacerdotes Gallicorum magistratum distributio pertinuit. Sed et Romani, patria potestate, militia, tributis, vectigalibus exemptos sacerdotes, ac publicis stipendiis donatos, primitiis etiam, decimis omnibusque liberalitatis officiis prosecuti sunt, consularibus item fascibus ipsis subjectis, legumque interpretatione a Collegio Pontificum accepta: quamobrem, republica ad unius arbitrium redacta, Imperatores summum Pontificatum pertimescentes, arripuerunt atque imperialibus titulis adjunxerunt.

Compertum etiam nobis, vitæ ac necis jus in ipsos Reges insulæ Niloticae Meroes penes Sacerdotes diu fuisse, et Caliphas Mahometanæ legis in Ægypto summos Antistites, ejus gentis principes Soldanos (quousque ea provincia in Turcarum potestatem cessit) in Regio solio confirmavisse. Jam præter Romanos et Ægyptios, quantum tribuerunt sacerdotibus Hebrei, quantum Chaldæi atque Persæ, cum hi omnes historiæ fidem non nisi ab ipsis petendam esse censuerint? Nam quid ego dicam de Hebræis? Nonnè tribus

undecim e populo electo, uni tribui Levi decimam pendere, Dei oraculo jussæ sunt? Nonnè eadem tribus vacua et otiosa sacris tantum curandis reservata est? Nonnè immunes facti sunt ab omnibus oneribus et muneribus merè sacerdotalibus, quæ vel possent a ministerio templi distrahere, vel essent incongrua et indecentia illi statui? Porro omnes omnium gentium immunitates in Christianæ legis sacerdotes translatas esse non ambigitur, ac tanto quidem præstantiores, quanto et ipsi excellentiores cæteris sunt. Quam enim gentem aut sectam tot cohonestatam privilegiis audivimus, quot Chistianam Religionem? Quare si alias unquam tum certè maximè, cum Christi lux mundo cœpit affulgere, æternoque Patri reconciliamur, libertate atque immunitatibus quam amplissimis sacerdotium gaudere decuit.

Honor Religionis, observantia Christiano Sacerdotio debita, prosperitas et amplitudo divini cultus, non abrumpere institutionem eorum qui ad sacrum Sacerdotii ordinem aspirant, neque eisdem consecrandis impedimentum injicere, vel eos a via avertire qua vocationem divinam explere conabantur; hæ præter alias sunt magni momenti rationes, quibus innixi asserere potuimus jus quod Seminariorum collegis competit, vacationis a militia. Sed hæc omnia ad quid? Nonne ad hoc quod Catholica Religio munita sit idoneis, virtute præditis et doctrina sacerdotibus quotquot necessarios duxerint supremi Ecclesiae Pastores, quibus tantum hac de re judicium ferre licet et competit? Nonne hoc est universale bonum et commune commodum quod in universam societatem transfunditur et in omnes et singulos qui ad eamdem spectant? Vel forsan verum non est negare potest, cultum et religiosam pietatem profectum esse et socialem et individualem simul, vel etiam omnium summum? Sacerdos ut tali ordine induitus vel ornatus, non sibi sed societati inservit, et quoad ea quæ eidem maximi sunt momenti, ut sunt profecto ejusdem relationes ad Deum, «omnis Pontifex ex hominibus assup-tus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum» (1). Omnia ergo quæ Sacerdotio favent, et ejusdem expedito ministerio, societati favere dicenda sunt.

Ut animarum saluti consulat, Sacerdotis ministerium ordinatur; omnes ejus vigiliae et solicitudines non aliud querunt. Ast quomodo fieri potest ut hoc perficiatur, nisi eis possibilis imo facilis

(1) Ad Heb. V. 1.

reddatur amor et voluntas officia sua implendi, et animus eorum erigatur virtutum praxi? Et virtutis exercitium et desiderium et prompta voluntas muneris exercendi, nonne constituant thesaurum maximum Reipublicæ? An ipsamet Respublica nullam percipit utilitatem ex tot divini verbi suggestis, e quibus dominicis singulis rorat inter urbium vel populorum incolas pax et dilectio, semen quod sepultum in agro optimo, fidelium corde, quod hujuscemodi verbum excipit velut parentis, quem diligit consilium, postea ex eodem producit salutares motus et studia justitiae, dignitatis, decoris, observantiae erga auctoritatem, abnegationis et sacrificii, omnium denique ex quibus vera exurgit Reipublicæ præstantia, amplitudo et robur?

Hæc moralitatis principia, civium cordi per sacerdotem tradita, nexus stabilis Reipublicæ firmiores et magis durabilem quam cuncta militum arma. Sacerdotum numerus si minuatur, impedimenta si apponantur eis qui sacerdotium sunt suscepturi, quid inde commodi status adipisceretur? incrementum valde modicum militarium copiarum, perpenso exiguo clericorum numero, propter plurimarum capellaniarum et beneficiorum suppressionem: parva vixque nominanda vis aut fortitudo phisica; modicissimum militare robur, cuius accesio futilis est omnino, nec fit sine magna jactura vis moralis, quæ certe præstantior est magisque salutaris, ultiote sine qua materiale robur vertitur in perniciem.

Neque objici potest, clericorum defectum et bona per ipsos perficienda suppleri posse per accuratiorem institutionem primariam; hæc enim institutio nec ad dimidium civium pertingit, nec nisi in ætate juvenili: contra Sacerdotis obsequia afficiunt pusillos et magnos, divites et pauperes, sapientes et illiteratos, eos etiam qui morbo laborant et qui in extremis sunt, omnes demum cuiusvis ætatis, status, sexus et conditionis.

«Christianæ religionis principia a Sacerdote in animis hominum consignata, ajebat Montesquieu, valde validiora sunt gloria in monarchiis, virtutibus humanis in democratiis, servili formidine in dominatione tyrannica. Homo religionis expers similis est furenti bestiæ, quæ suam non sentit libertatem nisi cum lacerat et devorat.» Nisi Religio virtute præceptionis assidue dulces efficeret truculentos motus et instinctus effrenatæ passionis, nostrorum agrorum incolæ citò viderentur silvestres et inculti homines, solitariam et vagam vitam agentes.

Religio hisee præbet hominibus occasionem aestimandi jucunditatem societatis humanique consortii, dum eos convocat jugiter in templo; in quibus, permixtis classibus societatis omnibus, et sublata distantia indigentem inter et principem et locupletem, animo perpendere cogit et humiles et elatos quid nomine fraternitatis veniat, ac propterea mutuam dilectionem in cunctis progignit. Tollatur contra e medio religio; imminuantur sacerdotes mirum in modum juxta iniquas leges, quas impugno, et absque dubio verba fraternitatis, patriæ et societatis inania prorsus erunt quam plurimis ex his qui utilia nunc sunt societatis membra. Neque coarguatur hæc procedendi ratio quam suadeo, exigui amoris erga patriam, ejusque servitium. Patriæ enim multifariam obsequi possumus. Sic professor adolescentes per totam vitam erudiens, sacerdos vitam suam exhauriens in laboribus suo ministerio adnexit prossunt patriæ præ cunctis militibus, sanguinem pro ipsa in præliis profudentibus.

Duo sunt, sacerdotis scilicet et magistri, officia præclara, necessaria prorsus, quæ sive quoad laborem sive quoad consecratio officio militiae præstant: «Unicuique paraeciae præest, inquit memoratissimus quidam auctor, adversariis non invitus, homo nulla circumventus familia propria; et qui ad omnes familias spectat; qui testis, consiliator et agens invocatur pro omnibus vitae civilis solemnioribus actibus; sine quo impossibile est ad veram religionem nasci per baptismum, et ejusdem sacramentis munitum ad æternam vitam proficisci; et cui cura incumbit hominis ex quo tempore ab utero ejicitur materno et eum non desserit usque dum in sepulchrum descendit, qui nascentis incunabula, sponsi thororum, lectum morientis et mortui feretrum benedicit aut sacrat; ipse est quem pueri assuescant diligere, colere et veneratione prosequi; quem vel ignoti patrem dicunt; ipse est cui genuflexi sua Christicolæ aperiunt peccata, et conscientiae sinus et abditiores lacrymas; qui reficit et solatium fert vi muneric omnibus aerunmis quibus tum anima tum corpus premuntur; qui est mediator necessarius, egestatem inter et divitias; ipsem est cuius januam pulsat et dives et indigens, ille ut tradat eleemosynam secretam, hic ut accipiat ab eodem stipem absque rubore; homo quidam est ad nullum ordinem socialem spectans in specie, et qui propterea ad omnes pertinet, ad plebem videlicet propter vivendi rationem parcam et laboriosam et obscuram et sæpè ob humilem originem, ad optimates vero et sublimes propter insti-



tutionem et scientiam, qua pollet, et ingenuitatem affectionum ad quam permovet et præmandat Religio, quæ ut primum et maximum mandatum et ad quod cætera omnia recidunt, dilectionem et charitatem habet; ipse omnia novit, jus habet dicendi omnia et cuius verba ita sensum aperiunt et intellectum illuminant et corda accendent, tanquam roborata auctoritate missionis divinæ et imperio fidei absolutæ. Hic homo Parochus est.»

Jam vero talem ac tam meritum societatis amicum, tantum ac tam securum familiarum præsidium, tam optimum singulorum hominum hortatorem et ducem quasi inutilem contemnunt, quasi infensum persequuntur leges quæ, conculeantes jura omnia et divina et humana e quibus exurgit immunitas quam propugno, salutaris militiae tirones a proposito deturbant et castrorum tumultibus misere addicunt.

Ex altera vero parte, dum solicitudinem erga patriam exerunt adversarii administros eidem quærentes quoad res quæ sensibus subjacent et tempore finiuntur, oblivioni tradunt officia ejusdem patriæ, cujus tutelam nomenque gerunt, erga suos filios. Libertates et prærogativas, pensiones etiam pecunarias, justitia quidem insignes, instituunt pro aliquibus, simul alii easdem denegantes hoc tantum jure innixi, præpotentiae scilicet.

Civilis auctoritas pensionem pecunialem adscribit in perpetuum vel aliqua status bona cuidam de patria optimè promerenti, et nullo respublica jure gaudet ad dirimendum vel in posterum negandum illud quod concesserunt sui prædecessores, ex eo quod beneficus ille dignus erat qui meritam mercedem perciperet; nam patriam beneficiis obstrinxerat, ut ita dicam, et gubernium se sponsorem reddiderat pro munere patriæ oneroso erga eumdem benemeritum adimplendo, quam quidem sponsionem respublica executi tenetur vi debiti sacri. Age vero, beneficia collata in nationes atque in eos, qui summum imperium habuerunt, a religione vera atque ab ejusdem ministris, eximia sane sunt, omnique laude, omni etiam mercede ac præmio majora.

Orthodoxa religio mites cultosque reddidit populos vi suæ doctrinæ, et ministerii Sacerdotalis, et ad Status civiles plures addidit terrarum plagas ac integras regiones a selvatica rusticitate superstitioni cultus ad catholicam fidem conversas; populares tumultus, sacra concionatorum voce præfocavit, intestina etiam bella, et acerbissima civium odia, quæ totam societatem, præsidiis gradu dejectis, in anarchiam absolutam et interitum pessun-

dassent. Quoties nutabant diademata in principum capitibus, et vacillabant atria prætorum, et Pontificis verbo stabilita sunt? Quam sæpè civiles leges pro nihilo extimabantur et despiciebantur, et in oblivionem venerant, ac nulla erat earum vis, et ad verbum duntaxat Antistitis ad vitam redierunt et vim regendi obtinuerunt? Quis barones anglos legitimo jure destitutos declarans deterruit ne morte mulcarent suum Regem, Joannem *Sintierra*, nisi Innocentius Papa III? Quis urbem Romam ab igne et ferro tum Genserici tum Atilæ fecit immunem, nisi Summus Pontifex S. Leo? Quis finem imposuit cruentis stragibus populum Gallum inter et Anglum, nisi magnus S. Gregorius VII? Quis Italiam liberavit a nefariis consiliis Imperatoris *Barbarroja*, nisi Alexander III? Quis pacis fœdere fecit amicas Galliam et Hispaniam pugnantes inter se, nisi Julius II? Quis bella extinxit Portugalliae, nisi Leo X?

Quis enimvero beneficia verbo aut calamo recensere intendat, quæ maxima sacerdotibus debet humana societas? Episcopi et missionarii a catholicis regibus missi, quot adduxerunt animas in Ecclesiæ Christi gremium et in census patrios? Quoties Sacerdos incolumes eripuit homines ex inhumana quorumdam Regum tyrannica potestate nullis legibus subjecta? Hujuscem veritatis luculentum exhibit testimonium D. Ambrosius, Flavianus in Antiochia, Chrysostomus, Augustinus, non recensis beneficiis singulis qua prout tulit opportunum tempus, id est sæpiissimè, ab eisdem sacerdotibus populi obtinuerunt. Clerus enim est veluti quædam perennis militia actuosa ut sustineat domesticum atque socialem ordinem, vitia eradicet ac semina funesta e quibus oriuntur casus adversi reipublicæ, crimina vetet et suffocet simul ac erumpunt in hominum cordibus, parentibus orbatis tuatur, viudas nullo præsidio potentium munitas obumbret, subsidium ferat pauperibus, nudum vestiat, causas agat eorum oppressorum et pro his qui persecutionem patiuntur, levamen afferat incarceratis, solatum præbeat mærore confectis, animum frigidorum demissum erigat in ultimo vitæ discrimine, et eos perducat tute ad suum finem ultimum, et æternam beatitudinem.

Si ergo nullo pollet jure respublica adversus anticas ejusmodi largitiones, in favorem horum, sed potius honorem eis adhibere merito tenetur, quomodo, quo jure, qua fronte retinentes justissima quædam ac vetustissima privilegia ac jura a patribus in favorem benemeritorum constituta, audent tamen irrita facere

privilegia, quæ prisci principes seu prætores Ecclesiae et Sacerdotibus concesserant, non modo ut se beneficiorum memores traducerent, sed etiam ut sic debita solverent conflata ex præstantibus meritis Ecclesiae in statum aut in seipsos? An clerus benemeritus jam non est ne quidem ut ei observatio personalis adhibeatur?

Omni posthabito jure, Clerus suo patrimonio, privilegio fori, et immunitatibus cæteris spoliatus, nonne dignus est qui colatur saltem in suis personis? Tædet profecto, calamum apprehendere, et scribere pro hujusmodi jure in natione hispana, quæ merito præ ceteris omnibus Catholica nominari gloriatur! in natione ubi fides et patria idem sonant, et cui tantum splendoris et gloriæ, tantam amplitudinem, dignitatem et nomem Clerus quovis tempore attulit.

Non me latet, Exeme. Dne., quam mediocri spe pro sanctissimis Ecclesiae juribus, pro justissima et plurimum convenienti seminariensium a militari servitio exemptione hodie conclamare possimus. Cum autem veritas et justitia nobis apertissime suffragentur, dum alii potentia abutuntur, Christi Sponsam monilibus, ipsimet a cœlesti Sponso dono traditis, violenter spoliant, jura, merita, leges patrum despiciunt atque traditiones sæculorum, nostrum est, jugiter pro justitia, pro veritate certare. Sic Apostolus monet: *insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina»* (1). Non ergo vacuum omnino, semel iterumque clamare adversus omnia quæ a laica potestate perperam gesta sunt et geruntur contra Ecclesiam ejusque libertatem et jura. Si homines nollunt intelligere ut bene agant, si a veritate auditum avertunt ad prava autem convertuntur, exaudiet nos Omnipotens et misericors Dominus. Quod efectu vacuum sit apud homines, merito non evacuabitur apud Deum; unde placet cum Sanctissimo felicis recordationis Papa Pio IX fiderenter ingeminare: «Né intermittamus unquam, assiduis fervidisque precibus clementissimum misericordiarum Patrem et Deum totius consolationis dies noctesque orare et obsecrare, ut Ecclesiam suam sanctam, tot undequaque calamitatibus pressam, tot undique procellis jactatam, in potentia brachii sui adjuvet, defendat, eamque ab omnibus quibus affligitur, adversitatibus eripiat» (2). DIXI.

(1) Epist. II. S. Paul. ad Timoth. IV, 2.

(2) Pius IX Aloc. «Nemo Vestrum» 26 Jul. 1855.

